

1324 · 1325 : BEQUESTS TO WIFE & DAUGHTERS ≠ MARCO POLO  
in domo sua suo labore et insuper sibi dimitto libras | denariorum venetorum  
Centum. Residuum uero dictarum duarum Millia librarum absque decima | distribu-  
atur pro anima mea secundum bonam discrepcionem Commissariarum mearum. |  
De aliis meis bonis dimitto suprascripte donate vxori et commissarie mee | libras  
octo denariorum venetorum grossorum omni anno dum ipsa vixerit pro suo vsu  
ultra | suam Repromissam. et stacium et omne capud masaricitorum cum tribus  
lectis | coredatis. Omnia uero alia bona Mobillia et inbillia inordinata Et si | de  
predictis ordinatis aliqua inordinata Remanent quocumque modo iure et | forma  
mihi spectancia seu que expectare uel pertinere potuerunt uel possent tam iu | re  
sucessorio et testamentario ac hereditario aut paterno fraterno materno et | ex  
quacumque alia propinquitate siue ex linea assendenti et desendenti uel ex  
colaterali | uel alia quacumque de causa mihi pertinencia seu expectancia et de  
quibus secundum for | mam statuti venetorum mihi exporteret<sup>1</sup> plenam & specialem  
facere mencionem seu dis | positionem et ordinacionem quam quantum in hoc et  
in omni casu ex forma statuti | specificati facio specialiter et expresse / Dimitto  
suprascriptis filiabus meis fantine | bellele et morete libere et absolute inter eas  
equaliter diuidenda ipsasque | michi heredes insticuo in omnibus & singulis meis  
bonis mobilibus & inbillibus | iuribus et acionibus tacitis et expressis qualiter-  
cumque ut predicatur mihi pertinentibus et expec | tantibus. saluo quod moreta  
predicta filia mea habere debeat ante partem de mon | te tantum quantum habuit  
quelibet aliarum filiarum mearum pro dote et coredis | suis. tamen volo quod si  
quic in hoc meo testamento esset contra statuta & consilia | comunis venetorum  
corrigatur et reducatur ad ipsa statuta et consilia. prereterea do | et confero supra-  
scriptis commissariabus meis post obitum meum plenam virtutem & potestatem |  
dictam meam commissariam intromitendi administrandi et fruniendi inquirendi  
inter | pellandi placitandi respondendi auocandi interdicta et precepta tollendi  
legem petendi | et consequendi si opus fuerit in anima mea iurandi sentenciam  
audiendi & prosequendi | uendendi et alienandi intromitendi et interdicendi petendi  
et exigendi siue excuciendi | omnia mea bona et habere a cunctis personis ubi-  
cumque et adpud quemcumque ea | uel ex eis poterint inuenire cum carta et sine  
carta in curia et extra curiam et | exinde securitatis cartam et omnes alias cartas  
necessarias faciendi sicut Egomet pressens | uiuens facere possem et deberem / Et ita  
hoc meum testamentum firmum et sta | bille esse iudico in perpetuum si quis  
ipsum frangere uel violare pressumpserit male | dicionem omnipotentis dei incurat /

<sup>1</sup> Read *oporteret*. *expectaret* seems to have been written and to have been incompletely corrected. *prereterea* (10 lines below) is a slip for *preterea*.